



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 9. Matre infantem suum curante magis sollicitus Deus erga pauperes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

Dominus in celo sedes eius : oculi eius in pauperem respiciunt. Psal. 103
Idcirco alibi dictum est: Tibi derelictus est pauper, quem alij negligunt, quem despiciunt, Tibi derelictus pauper. Psal. 9. 354

§. IX.

Matre infantem suum curante magis sollicitus Deus erga pauperes.

Quemadmodum infans à natura destitutus, nudus, neque surgere, neque se vestire, aut contra frigus tegere, neque cibum manibus capere, immò neque ea, quæ sibi necessaria sunt verbis postulare valens, à matre curatur. Hanc amor impellit, ut viribus carentem è lecto leuet, vestiatur, inuoluat, portet, sinu excipiat, admotis papillis nutriat, ciboque præmanso in os inserto sopiat, in cunis circumagat, cantando ad somnum alliciat; plorantem mulceat, ridenti arrideat, denique noctes diesque laboret, ne quid desit indigenti. Ita Deus pauperes & inopes, & se ipsos iuuare non valentes amat, fouet, educat & educit ad æternam vitam. Immò longè magis. Quia mater sæpe per ignorantiam, sæpe per negligentiam, sæpe per virium defectum infantem succurrere non potest. Deus autem, cuius sapientia falli nequit, cuius bonitas termi-

NUM

num nescit; cuius potentia non est finis, nihil ignorat, nihil negligit, nihil non potest. Quare magis vult, magis valet, magis curat, quàm mater. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Quæ cum ita sint, prodest vitæ que hominibus sua paupertas, per eam, dum eos negligere Deus videtur, maximè curat, quia maximè amat. Quamobrem rectè posuit illud Themistoclis vsurpare: *Perieramus, nisi perissemus.* Multis etenim perire est salutare; hoc est, multis perdere opes, perdere domos, perdere pecunias, perdere vitæ necessaria, est occasio, vt Deum inuocent: qui inuocatus est, & succurrit. Itaque male perierant, nisi bene à Deo perdit bene perisissent. Quod ita esse, pauperes vel in Martyribus possunt cognoscere; nam & illi sic bene perierunt in hoc sæculo, ne perirent in futuro. Plura qui vult legere de hac cura Dei erga pauperes, tomum nostrum primum adeat, de Iudicijs Dei, quæ in hoc mundo exercet.

Tom. I.
de iudicijs, quæ
Deus in
hoc mundo
exercet. c. 4.
§. 5.

§. X.

§. *Stephanus Hungarorum rex, quantus illi amandis pauperibus, fuerit Dei imitator?* Ne